

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 6: De eloquentia sub his titulis.

De rethorica et poetria et eloquentia facundia: oratione et oratore atque poeta: Rubrica i

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo i. in principio. Rethorica est ars secutiua dialetice. 2. capitulo. Rethorica est potentia contra vnumquodque considerandi contingens persuasibile. 5. capitulo. Rethorica componitur ex dialetica: scientia et ex ea que circa mores polytica. Libro 3. et finali capitulo 19. Concionari difficilius est quam iudicio contendere: merito: quia circa futurum: ibi autem contra iam factum quod est scibile iam.

Oratius in poetria: Ut pictura poesis erit que si propius stes: / Te capiat magis: quedam si longius abstes / Hec amat obscurum: volet hoc sub luce videri. / Iudicis argutum: que non formidat acumen. / Hec placuit semel: hoc decies repetita placebit.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. in prohemio: Me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit. vt estimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus: eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerunque: prodesse nunquam. Si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii consumit omnem operam in exercitatione dicendi: is inutilis sibi peritiosus patrie cuius alitur. Idem de oratore libro i. Quid tam iocundum cogitatu atque auditu quam sapientibus sententiis grauibusque verbis ornata oratio et polita. Quid potest esse in oratore: aut iocundius aut magis proprium humanitatis quam sermo facetus ac nulla in re rudis. Hoc proprium oratoris est oratio grauis et ornata et hominum sensibus ac mentibus accommodata. Is orator erit mea sententia hoc tam graui dignus nomine qui quecunque inciderint: que sint dictione explicanda prudenter et composite et ornate et memoriter docet: cum quadam actionis dignitate etiam finitimus est oratori poeta: numerus astrictior paulo: verborum autem licentia liberior: multis vero ornandi generibus socius ac pene par. Sunt quidam aut ita lingua hesitantes aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes: vt etiam si ingeniis atque arte valeant: tamen in oratorum numero venire non possunt. Sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles ita nature muneribus ornati vt non nati: sed ab aliquo deo electi esse videantur. Magnum est quiddam onus atque munus suscipere atque profiteri se esse omnibus silentibus vnum maximis de rebus magno in conuentu hominum audientium. Adest enim fere nemo quando acutius atque acrius vitia indicet quam recta videat. Ut quisque optime dicit: ita maxime dicendi difficultatem variosque euentus orationis expectatione hominum pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re dignum nomine orationis: dignum hominum auribus efficere atque edere. is mihi etiam si commouetur in dicendo: tamen impudens videtur. Quotiens dicimus: totiens de nobis iudicatur. Permulta sunt que nisi orator a natura habere non multum a magistro adiuuaretur. Libro 2. Oratoris omnis actio opinionibus non scientia continetur. Nihil est perfecto oratore preclarior. Multo turpius est oratori nocuisse cause quam non profuisse. Habet multitudo

Commented [CN1]: fol.79ra

vim quandam talem: vt quemadmodum tibicen sine tibiis canere: sic orator sine multitudine audiente eloquens esse non possit. Libro 3. Nihil est tam tenerum: neque tam flexibile: neque quod tam facile sequatur quocunque ducas quam oratio. Is est eloquens qui et humilia subtiliter et alta grauiter et mediocria temperate potest dicere. Is erit eloquens qui poterit parua submisse modica temperate magna grauiter dicere. Hec sapientia maxime adhibenda eloquenti est: vt sit temporum personarumque moderator: nam nec semper apud omnes eodem modo dicendum arbitror. Prudentia hominibus grata est lingua suspecta. Uersus ratione non est cognitus: sed natura atque sensu que dimensuratio docuit quid acciderit. Ita notatio nature et animaduersio peperit artem.

Commented [CN2]: fol.79rb

Ouidius sine titulo siue amorum libro 3. et finali capitulo 12. Exit in immensum iocunda licentia vatum. / Obligant hystorica nec sua verba fide. Idem de tristibus libro secundo epistola vnica. Discitur innocuas vt agat facundia causas. / Protegit hoc sontes: immeritosque premit. Libro 4. epistola 10. ait ouidius. Scribere tentabam verba soluta modis. / Sponte sua carmen muneris veniebat adaptis / Et quod tentabam scribere: versus erat.

Seneca declamationum seu ciuilis causarum libro i. in prohemio. Quo plura exempla inspecta sunt plus in eloquentia proficiscitur. Libro 3 in prohemio: Magna et varia res est: eloquentia que inuitis placeat se indulsit vt tota contingeret. Libro 10. et finali in prohemio: Magna debet esse elequentia que inuitis placeat: cum ingenia fauor hominum ostendat fauor alat quantam vim esse oportet que inter obstantia erumpat.

Fulgentius nutologiarum libro i. fabula 18. Poetica garrulitas semper de falsitate ornata est.

Boetius in musica libro i. capitulo vltimo. Genus poetarum non potius speculatione ac ratione quam naturali quoddam instinctu fertur ad carmen.

Cassiodorus epistolarum in prohemio. Dictio semper agrestis est que aut sensibus electis per moram non committitur: aut verborum minime proprietatibus explicatur. Loqui nobis communiter datum est solus ornatus est qui discernit indoctos. Libro 5. capitulo 4. Nimis rarum est solide loqui: et cum multa dicere suppetunt titubantia non proferre. 21. capitulo. Age: ne tua tibi obiiciatur oratio: quia pondus pudoris est grauissimi propria voce conuinci. 22. capitulo. Multum facundior est qui sententiam dictat quam ille qui supplicat: libertas verba nutrit. metus autem copiam frequenter intercipit. Libro 9. capitulo 21. Sola reperitur eloquentia que tantum romanorum dominiis obsecundat. hinc oratorum pugna ciuilis iuris classicum canit. hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commendat. Libro 10. capitulo 6. Oratoriam artem ornamentum omnium litterarum esse fatemur. quicquid enim in qualibet disciplina concipitur: ab ista sub decore profertur. Naturale est inuenire: sed facundi decenter asserere. Quale est cunctis desiderantibus loqui: et res communes ita diserte loqui quas etiam prudentes se mirentur audisse.

Commented [CN3]: fol.79va

Gaufridus in poetria capitulo 98. Rem tria perficiunt: ars cuius lege regaris: vsus quem serues: meliores quos imiteris. / Ars certos: vsus promptos: imitatio redit / Artifices aptos: tria concurrentia summos.

De potentia et effectu eloquentie: Rubrica 2

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Lingua sapientum sanitas est. 15. capitulo. Lingua sapientum ornat scientiam. 16. capitulo. Eruditus in verbo recipiet bona. Fauus mellis verba composita: dulcedo anime est sanitas ossium. 14. capitulo. Mors et vita in manu lingue. 25. capitulo. Lingua mollis confringit duritiam. Idem in ecclesiastice capitulo 10. Uerba oris sapientis gratia: et labia insipientis precipitabunt eum.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 9. scilicet de anacharsi. Anacharsius schyta interrogatus quid est in hominibus bonum et malum: lingua inquit. 29. capitulo scilicet de theofrasto. Theofrastus ait: Citius esse confidendum in equo infreni: quam in verbo incomposito.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Honor et gloria in sermone sensati: lingua vero imprudentis subuersio est ipsius. 20. capitulo. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit. Sapiens in verbis producet seipsum.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 7. Quemadmodum res obscure dicendo aptiores fiunt sic res aperte obscuriores eidem. Idem rethoricorum artis noue libro i. capitulo i. Non in se parum fructus habet copia dicendi et commoditas orationis: si recta intelligentia et definita animi moderatione gubernetur. Idem de oratore libro i. Non quicquam mihi prestabilius videtur quam in dicendo tenere hominum mentes posse allicere voluntates impellere: quo velit deducere. **Hec** vna res in omni libero populo maxime in populo romano tranquillisque ciuitatibus precipue semper floruit: semperque dominata est. Quis nescit maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram vel ad odium: aut dolorem incitandis vel ab hisce iisdem permotionibus ad leuitatem misericordiam reuocandis. Libro 2. Usus dicendi in omni pacata et libera ciuitate dominatur. Quid admirabilius quam res splendore illustrata verborum. Tantam vim habet illa que recte a bono poeta dicta est vox atque nimirum omnium regina rerum oratio: vt non modo inclinantem excipere aut stantem inclinare: sed etiam aduersantem atque repugnantem vt imperator fortis ac bonus capere possit. Idem paradoxorum in prohemia: Nihil est tam horridum tam incultum quod non splendet oratione et tanquam excolatur. Idem tusculanarum questionum libro 2. Effectus eloquentie est audientium approbatio.

Ouidius methamorphosis libro 7. Quid enim non carmina possunt. Libro 13. Nec abest facundis gratia dictis.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 15. capitulo 3. Incredible est quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero. Idem de consolatione ad paulinum: Potest quidem eloquentia que parua sunt approbare pro magnis: rursus magna attenuare et ad minima deducere.

Ualerius maximus libro 6. titulo 9. Polemo adolescens perdit luxurie athenis neque illecebris eius tantummodo: sed etiam ipsa infamia gaudens cum conuiuio non post occasum solis: sed post ortum surrexisset domumque rediens xenocratis philosophi patendeque ianuam vidisset vino grazis ingentis delibutus sertis capite redimitus perlucida veste amictus refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit: atque consedit: vt clarissimum eloquium et prudentissima precepta temulentie lasciuia eluderet. Orta deinde vt pareant omnium indignatione xenocrates vultum in eodem habitu continuit. **Omissaque** re quam diserebat: de modestia ac temperantia loqui cepit. Cuius grauitatem sermonis respicere coactus polemo primo coronam capitis detractam proiecit. Paulo post brachium intra palium reduxit. Procedente tempore oris

Commented [CN4]: fol.79vb

Commented [CN5]: fol.80ra

conuiuialis hilaritatem deposuit: ad vltimum totam luxuriam exiit. Uniusque orationis saluberrima medicina sanatus ex infami gennone: maximus philosophus euasit. Peregrinatus huius animus in nequitia non habitauit. Libro 8. titulo 9. Pisistratus tantum dicendo valuisse traditus est vt ei athenienses regium imperium orationem capti permitterent: cum presenti est contraria parte amantissimus patrie solon miteretur. scilicet et alterius. salubriores erant conciones. alterius disertiores. Quo euenit vt alioquin prudentissima ciuitas libertati seruitutem preferret. Hegesias cirenaicus philosophus sic mala vite representabat: vt eo eum miseranda imagine audientium pectoribus inserta multis voluntarie mortis oppetende cupiditatem ingeneraret. Ideoque a rege ptolomeo vltius hac de re disserere prohibitus est.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo 44. et penultimo. Frequenter quod arma explere nequeunt oblectamenta suauitatis imponunt. Libro 8. capitulo 13. Omnia siquidem bona cumulat lingua diserta.

Gaufridius de hyronia curie papalis. Sepius audisti quod vis sermonibus apta est. / Et quod naturam callida verba mouent.

Prouerbia vulgaria. Qual parole me di cotal cor me fai.

De necessariis cogitationibus oratoris: Rubrica 3

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 12. Oportebit mores vnus cuiusque ciuitatis nos habere: morem enim vnus cuiusque maxime persuasium necesse ad vnamquamque esse.

Tullius rethoricorum artis noue libro i. capitulo i. Ars sine assiduitate dicendi non iuuat multum. Idem de oratore libro 2. Nemo potest de ea re quam non nouit non turpissime dicere. Si mihi quamuis eruditum hominem adduxeris quamuis et acutum in cogitando quamuis pronunciando expeditum: si erit idem in consuetudine ciuitatis in exemplis in institutis in moribus ac voluntatibus ciuium suorum hospes: non multum ei loci proderunt ex quibus illi argumenta promuntur. Hec adiuuant in oratore: lenitas vocis pudoris vultus: significatio verborum. comitas. si quid persequatur acrius vt inuitus et coactus facere videatur. Ad consilium de re publica dandum caput est noscere mores: ad dicendum vero probabiliter nosce mores ciuitatis: quia crebo mutantur. Quid est turpius quam legitimarum et ciuilium controuersiarum patrocina suscipere cum sis legum et ciuiliis iuris ignarus.

Commented [CN6]: fol.80rb

De exordio et partibus eius: Rubrica 4

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 9. Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Quod euenit. si eum beniuolum attentum docilem confecerit. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscura subiens auditoris animum. In inuidiam ducentur aduersarii: si eorum potentia diuitie cognatio pecunie proferentur: atque eorum vsus arrogans et intolerabilis: vt his rebus magis videantur quam cause sue confidere. Ab auditorum persona beniuolentia captatur. Si res ab his fortiter sapienter mansuete geste proferuntur: vt nequa assentatio nimia significetur. si de his quam honesta existimatio quantaque

eorum iudicii et auctoritatis expectatio sit ostendatur. Attentos faciemus: si demonstrabimus ea que dicturi erimus magna noua incredibilia esse: aut ad omnes: aut ad eos qui audiunt: aut ad aliquos illustres homines: aut ad deos immortales aut a summa rei publice attinere. Et si pollicemur nos breuiter causam naturam demonstraturos: dociles auditores faciemus: si apte et breuiter summam cause exponemus. Cum docilem velis facere simul attentum facias oportet: nam inest maxime docilis qui attentissime est paratus audire. Insinuatione vtendum est cum auditoris animus infestus est. Id autem tribus ex causis fit: maxime: si aut inest in ipsa causa quedam turpitudine: aut ab his qui ante dixerunt iam quiddam persuasum videtur: aut eo tempore locus dicendi datur cum iam illi quos audire oportet defessi sunt audiendo. Si causa est turpitudine contrahit offensionem: aut **pro** eo homine in quo offenditur: alium hominem qui diligitur interponi oportet: aut pro re in qua offenditur aliam rem que probatur: aut pro re hominem: aut pro homine rem: aut ab eo quod odit ad id quod diligit auditoris animus traducatur et dissimulare te id defensurum quod existimeris defensurus. Deinde cum iam mitior factus erit auditor. ingredi pedetentim in defensionem: et dicere ea que indigent aduersarii tibi quoque indigna videri. deinde cum lenieris eum qui audiet demonstrare nihil horum ad te pertinere: et negare te quicquam de aduersariis esse dicturum neque illud neque hoc: vt neque aperte ledas eos qui diligitur: et tamen id obscure faciens quoad possis alienos ab his auditorum voluntatem: et aliquorum iudicium simili de re: aut auctoritatem proferre imitationem dignam. Deinde eadem aut similem aut maiorem agi rem in presentia demonstrari. Animus defensus audiendo aut admiratione integratur aut risu nouatur. Idem rethoricorum artis noue libro i. capitulo 2. Exordium est principium orationis per quod animus auditoris vel iudicis constituitur vel apparatur ad audiendum. 4. capitulo. Attentos habebimus si pollicetur nos de rebus magnis nouis inusitatis verba facturos: aut de his que ad rem publicam pertineant: aut ad eos ipsos qui audient: aut de deorum immortalium religione. Et si rogabimus vt attente audiant. Et si numero exponemus rebus de quibus dicturi sumus. In exordienda causa seruandum est vt leuis sit sermo: et vsitata verborum consuetudo vt non apparata videatur oratio esse. Idem de oratore libro 2. Hec adiuuant in oratore: lenitas vocis: pudoris vultus significatio verborum: comitas. siquid persequatur acrius vt inuitus et coactus facere videatur.

Seneca declamationum seu ciuilibus causarum libro 10. et finali in prohemio: Magna debet esse eloquentia que inuitis placeat.

Gregorius in pastoralibus capitulo 20. Difficile quippe est vt quantumlibet recta denunciatio predicator quomodo diligitur libenter audiatur.

De partibus rethorice orationis scilicet de prohemio prologo: **prefatione** narratione conclusionem et epilogo: Rubrica 5

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo 15. Necessarie partes rethorice orationis sunt propositum: et persuasio: et epilogo. 16. capitulo. Prohemium est principium orationis sicut in poetis prologus et in fistulatione preludium: omnia enim hec principia sunt et velut breuiator ad sequens.

Terentius in phormione capitulo 17. Nihil est antipho. Quin male narrando possit deprauiter.

Commented [CN7]: fol.80va

Commented [CN8]: fol.80vb

Tullius de oratore libro 2. Narratio obscura totam obcecat narrationem. Si nota res est nec dubium quod gestum sit narrare non oportet. Nec si aduersarius narrauit nisi refellemus. Oportet vt edibus ac templis vestibula et aditus sic causis principia proportione rerum proponere. Itaque in paruis atque in frequentibus causis ab ipsa re est exordiri sepe commodius. Idem rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 14. et finali. Conclusio est exitus et determinatio totius orationis.

Lex digestorum titulo de origine iuris l. i. In foro causas dicentibus nephas: vt ita dixerim est nulla prefatione facta iudici rem exponere. Prefationes et libentius nos ad lectionem propositae materie producunt et cum ibi venerimus huius euidentiorem prestant intellectum.

De argumentatione et argumentis rethoricis et dispositione eorum: Rubrica 6

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo i. Persuasio est demonstratio. Tunc credimus maxime quando ostensum esse existimamus. Est autem ostensio rethorica entimema. Necesse est per communia fieri persuasiones et orationes. Semper vera et meliora natura silogizabiliora et persuasibiliora sunt. Omnes persuasiones faciunt per ostendere: aut exempla dicentes: aut entimemata: et preter hoc nihil. Libro 3. et finali capitulo 19. Exempla sunt magis concionalia. entimemata autem magis iudicialia. Non oportet continue dicere entimemata. sed intermisceri: si autem non: offendunt inuicem. Est enim et quanti terminus sui amicus: quoniam tot dixisti quot vtique sapiens vir: sed non talia. Quando passionem feceris ne dicas entimemata: aut enim expellet passionem: aut frustra dictum entimema. Expellunt enim motus inuicem qui simul: aut exterminant: aut debiles facient. Idem ethicorum libro 2. capitulo 2. Oportet de immanifestis manifestis signis et testimoniis vt.

Commented [CN9]: fol.81ra

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 10. Fabula est in qua nec vere nec verisimiles res continentur. Hystoria est gesta res ab etatis nostre memoria remota. Argumentum est ficta res que tamen fieri potuit. Huiusmodi est apud Terentium. Idem rethoricorum artis noue libro i. capitulo 5. Fabula est que neque veras neque verisimiles continet res vt he que tragediis tradite sunt. Argumentum est ficta res: que tamen fieri potest velut argumentum comediarum. Libro 2. capitulo 6. Infirma ratio est que videtur per rationem afferri: si idem dicit quod in expositione dictum est. Libro 3. capitulo 4. Argumentationum dispositiones huiusmodi conuenit habere firmissimas argumentationes in primis et in postremis cause partibus collocare mediocres: et neque inutiles ad deducendum neque necessarias ad probandum: que si separatim ac singule dicantur infirme sunt: cum ceteris coniuncte firme et probabiles sint: interponi et medio collocari oportet. Nam et statim re narrata expectat animus auditoris ex qua re confirmari eam possit. Quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam nuperrime dictum facile memorie commendatur vtile est cum dicere desinamus recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Idem de oratore libro 2. Eos reprehendo qui que minime firma sunt ea prima collocant. Res hec postulat vt eorum expectationi qui audiunt quam celerrime succurratur: cui si in initio satisfactum non sit multo plus in reliqua causa laborandum. Ut in oratore optimus quisque sit: in oratione firmissimum: quodque sit primum dum illud tamen in vtroque teneatur: vt ea que excellunt seruetur etiam ad perorandum si qua erunt mediocria. Principia dicendi semper eum accurata et acuta et instructa

Commented [CN10]: fol.81rb

sententiis apta verbis: cum vero causarum: propria esse debent. Prima enim est quasi cognitio et commendatio orationis in principio: queque continuo eum qui audit permulcere atque allicere debet. Non est dubium quin exordium dicendi vehemens et pugnas non sepe esse debeat. Illustriora sunt: tam que in principiis quam que in mediis causis dicuntur: aut arguendo: aut referendo. Libro 3. et finali. Omnis translatio que quidem sumpta ratione est: ad sensus ipsos admouetur: maxime oculorum: qui est sensus accerrimus.

Macrobius saturnaliorum libro 3. in prohemio: Plebeia ingenia magis exemplo quam ratione capiuntur.

De eloquutione illatiua passionis animi et electis exemplis huius: Rubrica 7

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo 8. Decentia habebit locutio si sit passionis illatiua secundum aliquid. Illatiua passionis locutio est: si quid sit contumelia irascentis locutio. Si autem impia et turpis moleste ferendo et verendo etiam dicere. Si autem laudabilis: hilariter. Si autem miserabilis: miserabiliter et in aliis autem similiter. Simul compatitur qui audit semper eum qui loquitur passionabiliter. Si mollia rigide: et dura suauiter dicuntur: impersuasibile fit. Nomina dupla et adiectiua plura et extranea maxime congruunt loquenti passionabiliter. Indulgetur enim irato malum manifestare prolixè: aut immensum dicere.

Oratius in poetria. Ut ridentibus arrident: ita flentibus assunt. Humani vultus. / Si vis me flere: dolendum est / Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia ledent. / Tristia mestum / Uultum verba decent: iratum plena minarum / Ludentem lasciua: serenum seria dicta.

Commented [CN11]: fol.81va

Tullius de oratore libro 2. Nihil est in dicendo maius quam vt faueat oratori is qui audiet vtque ipse sic moueatur vt impetu quodam animi et perturbatione magis quam iudicio aut consilio regatur. Facilius est currentem incitare quam commoueri languentem. Non fieri potest vt doleat is qui audit aut oderit: vt inuideat: vt pertimescat aliquid: vt affectet: in misericordiamque deducatur: nisi omnes illi motus quos orator adhibere vult iudici in ipso oratore impressi esse ac immixti videantur. Non est facile perficere vt irascatur ei quo tu velis iudex si tu ipse id lente ferre videre: neque vt oderit eum quem tu velis: nisi teipsum flagitantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducatur: nisi tu ei signa doloris tui verbis voce vultu cum lachrymatione denique ostenderis. Ut nulla materies tam facilis ad exardendum est: que nisi admota igni ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendum vim oratoris parata que possit incendi: nisi ipse inflammatus ad eam et ardens accesserit. Ipsa natura orationis eius que suscipitur ad aliorum animos promouendos oratorem ipsum magis etiam quam quemquam eorum qui audiunt promouet. Libro 3. et finali. Nunquam is qui audiret intenderetur: nisi ardens ad eum perueniret oratio.

Ouidius de tristibus libro 5. epistola 7. Non mihi qui fateor penam meruisse: sed illi / Parcite qui nullo digna dolore dolet.

De qualitate verborum obseruanda eloquenti: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Non decent stultum verba composita.

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo 3. Disueta loqui facit videri venerabiliorem. Euidentiā et delectationem et extraneitatem habet maxime methaphora. 8. capitulo. Decentiam habebit locutio: si sit passionis illatiua secundum aliquid et moralis et rebus subiectis proportionalis locutio est: si neque de ingentibus **dicatur**: neque de leuibus venerabiliter: neque super vilia nomina dicatur ornatus. Idem ethicorum libro 2. capitulo 2. Sermones secundum materiam sunt exponendi.

Commented [CN12]: fol.81vb

Oratius in poetria. Primo ne medium: medio ne discrepet vnum. / Detulit precium qui miscuit vile dulci. / Lectorem delectando pariterque monendo. / Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.

Tullius de oratore libro i. Hoc est proprium oratoris oratio grauis et ornata: et hominum sensibus ac mentibus accommodata. Libro 2. Paruis in rebus adhibende non sunt dicendi faces. Plus proficit si ponetur spes vtilitatis future quam preteriti beneficii commemoratio. Natura fingit homines et creat imitatores faceciarum: adiuuante et vultu et voce et ipso genere sermonis. Utrumque assentior et multum facecias in dicendo prodesse: sepe et eas arte nullo modo tradi posse. Hylaritas tibi beniuolentiam conciliat ei per quem excitata est. Hylaritas tristitiam ac seueritatem mitigat ac relaxat: odiosasque res sepe quas argumentis dillui non facile est ioco risuque dissolui. Erit perspicua oratio: si verbis vsitatis si ordine tempore conseruato: si non interrupte narrabitur. Libro 3. et finali. Persepe mihi admirandum videtur quid sit quod omnes translatis et alienis magis delectantur verbis quam propriis et suis. Idem rethoricorum artis noue: libro 5. capitulo 36. Noui verbi assiduitas odium parit.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. capitulo 10. et finali. Que veritati operam dat oratio in composita debet esse et simplex. Libro 6. epistola 6. Aperta decent et simplicia veritatem.

Paladius de agricultura capitulo i. quod est prohemiū. Pars prima prudentie est eam cui precepturus es expectare personam: nec enim informator agricole debet artibus et eloquentia rethores emulari.

Lex codicis titulo si vt se ab hereditate abstineant l. i. Fides verborum veritatis adminicula non defiderat.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 4. Nimis rarum est solide loqui: et cum multa **dicere** suppetunt titubantia non proferre.

Commented [CN13]: fol.82ra

Mattheus vintoniensis in poetria particula 2. captulo 2. In adiectiuis nominibus et verbis inuenitur ornatus verborum frequentior.

Heinricus samariensis libro 2. Nec minus astutis vulpescat lingua loquelis / Nam dubia pariunt vulpida verba fidem.

Gaufridus in poetria capitulo 52. Cum doceas artes sit sermo domesticus arti. / Quelibet ars gaudet propriis: sed sint sua verba / Limitibus contenta suis: cum veneris extra / In commune forum: placeat communibus vti.

De iteratione sermonis vitanda: Rubrica 9

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 7. Non iteres sermonem in tua oratione. Capitulo 42. Non duplices sermonem.

Gaufridus in poetria capitulo 41. Respuat audiri bis idem.

De multiplicatione verborum

Salomon in prouerbiis capitulo 10. In multiloquio non deest peccatum.

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo 18. Oportet non prolixè narrare: sicut neque prohèmizare prolixè: neque persuasiones dicere.

Oratius in poetria. Quicquid precipies esto brevis: vt cito dicta / Percipiant animi dociles: teneantque fideles / Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 10. Sepe res parum est intellecta longitudine magis quam obscuritate narrationis. 11. capitulo. Breuitas orationis est cum nisi necessarium nullum assumitur verbum. 14. capitulo et finali. Commotis animis diutius in conuestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit Appolius rethor. Lachryma nihil citius arescit. Idem rethoricorum artis noue libro i. capitulo 5. Quo breuior eo lucidior et cognita facilior narratio est. Libro 2. capitulo 7. Commiserationem breuem esse oportet: nihil enim lachryma citius arescit. Idem de iure ciuili et iustitia naturali: siue de legibus libro iii. Breuitas magna laus est in sententia: nec est vnquam longa oratione vtendum.

Lex codicis titulo de veteri iure enucleando l. ii. Multo vtilius pauca indonee effundere quam multis inutilibus homines pregruari.

Priscianus in prohemio: In magna operis materia impossibile est aliquid perfectum breuiter exponi. Libro 7. titulo de vocatiuo singulari secunde declinationis: Iuniores breuitate gaudent.

Gregorius in pastorali capitulo 16. Sepe dictorum virtus perditur: cum apud corda audientium loquacitas incauta oportunitate leuigatur.

Isydorus soliloquiorum libro 2. capitulo 13. Tolle verbositatem sermonis superflui. Multiloquium non effugiet culpam. Breuem sermonem scientia facit.

Mattheus vintoniensis in poetria particula i. capitulo 8. Prolixitas nouerca est memorie. 9. capitulo. Breuitas sibi aperta sibi amicat audatiam. 10. capitulo. Uerborum confusio nouerca est intelligentie: et doctrine pretendit offendi cultum. 22. capitulo. Prolixitas fastidii puerpera est. Particula 2. capitulo 3. Infinitas nouerca est discipline et amica confusionis.

Iacobus beneuentanus capitulo 57. et penultimo. Inuidiam generat et longus tedia sermo.

Iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo i. Sermo breuis longo gratior esse solet.

Commented [CN14]: fol.82rb

De breuitate atque longitudine orationum et partium eius: Rubrica 10

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo i. Non sufficit habere que oportet dicere: sed necesse et hoc vt oportet dicere.

De verborum prolatione rethorica: Rubrica 11

Tullius rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 5. Fere non difficile est inuenire quid sit cause adiumento: difficillimum vero est inuentum expolire et expedite denunciare. Libro 3. capitulo 6. Firmam maxime poterimus in dicendo vocem conseruare si quam maxime sedata et depressa voce principia dicemus. Nam leditur arteria **si** antequam leui voce permulsa est: acri clamore complet. Et interuallis longioribus vti conuenit: recreatur enim species vox et artarie reticendo acquiescunt. Quid insuauius quam clamor in exordio cause. Interualla vocem confirmant eadem sententias conciniores diuisione reddunt: et audita spacium cogitandi relinquunt. Conseruat vocem continui clamoris remisso. Et varietas quidem auditorem maxime delectat. Acuta exclamatio fauces fauce vocem vulnerat: eadem ledit auditorem. Idem de oratore libro 2. Iam illud videmus nequaquam satis esse reperire quid dicas nisi id inuentum tractare possis. Libro 3. et finali. Hominum auris vocem natura modulatur. Ad vocem obtinendam nihil est vtilius quam crebra mutatio: nihil perniciosius quam effusa sine intermissione continuatio. Quamuis suaues grauesque sententie cause sint: si incondite positus verbis efferantur: offendent aures: quarum est iudicium superbissimum. Uoluptati aurium morigerari debet oratio. Rerum verborumque indicium prudentia est: vocum aut numerum aures sunt iudices: et illa ad intelligentiam referuntur: hec ad voluptatem. In illis ratio inuenit: in his sensus artem. Idem tusculanarum questionum libro i. Fieri potest vt recte quis sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 11. et finali. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit ita oratio pressa non audax. Libro 19. epistola 9. Occultus animi est.

Ualerius maximus libro 8. titulo 19. Eloquentie ornamenta in pronuntiatione acta et conueniente motu corporis consistunt.

Martialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Exaltas in lite tuam germanice vocem. / Ut furia mentis vox fumosa sonat.

De electis benedictionibus: Rubrica 12

In genesi capitulo 27. Isaach benedixit filio suo iacob: qui postea cognominatus est israel his verbis. Det **tibi** deus de rore celi et de pinguedine terre abundantiam furmenti et vini et olei: et seruiant tibi populi etc. Qui maledixerit tibi sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. 28. capitulo. Secunda benedictio isaac ad iacob filium suum. Deus omnipotens benedicat tibi: et crescere te faciat atque multiplicet: vt sis in turbas populorum: et det tibi benedictiones abraam: et semini tuo post te.

Commented [CN15]: fol.82va

Commented [CN16]: fol.82vb

Ouidius de phylomena. Tu valeas felix ceu longo tempore fenix. / Te foueat tellus veluti pupille vitellus.

Paulus apostolus epistola. 2 ad corinthios capitulo 13. et finali, Gratia domini nostri iesu christi et charitas dei: et communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis.

De electis blandimentis: Rubrica 13

Ouidius epistolarum 4. epistola. Que nisi tu dederis caritura est ipsa salutem. Mittit amazonio cressa puella viro. Epistola 5. Sed tua sum: tecumque sui puerilibus annis. Et tua quod superest temporis esse precor. Epistola 18. Si tibi non parcis dilecte parce puella. Que nunquam nisi te sospitespes erit.

Henricus samariensis libro 2. Ergo vale presul sum vester. spiritus iste / Post mortem vester credite vester erit. / Uiuus et extinctus te semper amabo.

Gaufridus in poetria capitulo 100. Quod minus est supple: quod plus abrade: quod habitum / Come. quod obscurum declara: quod vitiosum. / Emenda. curis istis sunt omnia sana.

De electis blasphemii: Rubrica 14

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 8. Dii tibi dent nullosque lares inopemque senectam. Longas hyemes: perpetuamque sitim. Idem de ybide. Terra tibi fruges: tibi deneget vndas / Deneget afflatus ventus et aura suas / **Nec** tibi sol clarus: nec sit tibi lucida phebe / Destituant oculos sydera clara tuos. / Nec se vulcanus: nec se tibi prebeat aer. / Nec tibi det tellus: nec tibi pontus iter / Exul: inops: erres alienaque limina lustres. / Exiguumque petas ore tremante cibum. / Nec corpus querulo: nec mens vacet egre dolore / Noxque die grauior sit tibi nocte dies. / Sisque miser semper: nec sis miserabilis vlli. / Gaudeat aduersis semina virque tuis. / Accedat lachrymis odium dignusque puteris / Quod mala cum miseris plurima plura feras / Sitque quod est rarum solito defecta fauore. / Fortune facies inuidiosa tue. / Causaque non desit: desit tibi copia mortis. / Optatam fugiat vita coacta necem. / Luctatusque diu cruciatus spiritus artus / Deserat: et longa torqueat ante mora. / Sit frigus mortis causa famesque tue.

De electis nimis: Rubrica 15

Regum libro 4. capitulo 21. Ait dominus. Delebo hierusalem sicut deleri solent tabule: delens vertam et ducam crebrius stilum super faciem eius.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 3. et finali capitulo 11. Quere alium pro me qui velit ista pati.

De electis rogaminibus et petitionibus miserabilium personarum: Rubrica 16

Commented [CN17]: fol.83ra

Ouidius epistolarum 4. epistola. Addimus his precibus lachrymas quoque verba precantis / Perlegas: et lachrymas finge videre meas. Idem sine titulo seu amorum libro 2. capitulo 15. Si qua mei tamen est in te pia cura relictis: / Incipe pollicitis addere facta tuis. Idem de ponto libro 2. epistola 2. Da precor accessum lachrymis mitissime nostris / Nec rigidam timidis vocibus ob de fore.

De electis loquutionibus significantibus miserabilitatem: Rubrica 17

Ouidius epistolarum capitulo 2. Heu patior telis vulnera facta meis. Epistola 6. Non expectato vulnus ab hoste tuli. Epistola 7. Mittit abideus quam mallet ferre salutem. Idem de ponto libro i. epistola 10. et finali. Naso suo profugus mittit tibi flacce salutem. / Mittere rem si quis qua caret ipse potest. Idem de tristibus libro 3. epistola 13. Quod tibi mittit non habet ipse vale. Libro 5. epistola 15. Aue tuus et getico tibi mittit naso salutem. / Mittere si quisquam quo caret ipse potest.

Commented [CN18]: fol.83rb

De electis inuentionibus rethoricis que sunt apta conuicia et dicuntur esse lesoria: Rubrica 18

Cronica de nugis philosophorum capitulo 9. scilicet de anacharsi. Anacharsis schita vituperatus ab artico: quoniam schita foret: sed mihi inquit dedecus patria: tu vero patrie. 15. capitulo scilicet de anaxagora. Anaxagoras ad dicentem: priuatus es atheniensibus. nequaquam: sed illi me inquit. 17. capitulo scilicet de socrate. Socrates ad dicentem talis maledicit tibi: bene etenim inquit non didicit. 24. capitulo scilicet de bione. Bio ad pusillanimum diuitem ait: non hic possidet opes: sed opes eum. 28. capitulo scilicet de aristotele. Aristoteles ad gestientem: quia de magna ciuitate fuerat oriundus ait: non hoc est attendendum: sed quisnam dignus fit magne patrie.

Terentius in eunucho capitulo 19. Ouem lupo commisisti.

Salustius inuectiua in tullium. Grauius et iniquo animo maledicta tua paterem marce tullii: si te scirem iudicio magis quam morbo animi petulantia ista vti. Sed cum in te nec modum neque modestiam vllam animaduerto: Respondebo tibi vt si quam maledicendo voluptatem cepisti eam maledicendo amittas.

Tullius inuectiua in salustium: Ea demum magna voluptas tibi est crispe salusti: equalem ac parem verbis vitam agere: neque quicquam tam abscentum dicere cui non ab initio pueritie omni genere facinoris etas tua respondeat vt omnis oratio moribus consonet: neque enim qui ita viuuit vt tu aliter ac tu loqui potest: neque qui tam illoto sermone vtitur vita honestior est.

Commented [CN19]: fol.83va

Ouidius de arte amandi libro i. ad finem. Accipiti timidas credis furiose columbas. / Montano plenumque credis ouile lupo. Idem de tristibus libro 5. epistola 9. Non adeo cecidi quamuis abiectus vt infra / Te quoque sim: inferius quo nihil esse potest.

Lucanus libro 2. Excessit medicina modum nimiumque secuta est. Libro 9. Sola potest libie turba prestare malorum.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fidutiua sui. Euripides alcestidi tragico poete respondit probabile: apud quem cum quereretur quod eo triduo non vltra tres versus maximo impenso

labore reducere potuisset: atque ipse centum perfacile scripsisse gloriaretur. sed hoc inquit interest quod tui in triduum tantummodo: mei vero in omne tempus sufficientis. Libro 4. titulo de abstinentia: Dyogenes syracusis cum olera ei lauanti aristipus dixisset: Si dionysium adulari velles ista non esses. Immo inquit si tu ista esse velles non adulares dionysium. Libro 6. titulo libere dicta aut facta: Elius mantia formianus libertini filius vltime senectutis lutium libionem apud censores accusabat. In quo certamine cum pompeius magnus humilitatem ei etatemque exprobans ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset: non mentiris inquit pompei: venio enim ab inferis. Sed dum illuc morarer vidi cruentem. cn. domicium acnobardum deflentem quod summo genere natus integerrime vite amantissimus patrie in ipso iuuentutis flore tuo iussu esset occisus. Uidi pari claritate conspicuum brutum ferro laceratum querentem id sibi prius perfidia et deinde etiam crudelitate tua accidisse. vidi cn. carbonem accerrimum pueritie tue bonorumque patris tui defensorem in tertio consulatu cathenis quas tu ei iniici iusseras inuentum obtestantem te aduersus omne phas et nephas cum in summo esset imperio a te equite romano trucidatum: Omnesque vna voce indignantes quod indempnati sub adolescentulo carnifice occidissent. Obducta iam vetustis cicatricibus bellorum ciuium vastissima vulnera municipali homini seruitutem paternam redolenti effrenate te meritatis intolerabilis spiritus impune reuocare licuit. Itaque eo tempore et fortissimum erat gneo pompeio maledicere et tutissimum.

Heinricus samariensis libro i. particula 2. Tu nimium tuus es: nimis et tibi credis inepte. / Et solus credis prouidus esse cato. / Philosophus nimis es nimium platonior ipso. / Ultra philosophos mens tua sepe fluit.

De scomatibus id est callidis dictis conuiciis que vulgo in italia dicuntur moti: Rubrica 19 Cronica de nugis philosophorum capitulo 24. scilicet de bione. Bio ad eum qui agros voraciter consumpserit ait amphytaum quidem deglutiuit terra: tum vero terram.

Frontinus libro 4. titulo 5. Leonidas lacedemonus cum dicerentur perse sagittarum multitudine nubes esse facturi: fertur dixisse: melius in vmbris propugnabimus.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fiducia sui. Spartanus quidem referente quodam sagittis persarum solem obscurari solere: bene narras inquit: in vmbra enim preliabimur. Libro 9. titulo de similitudine forme: In cicilia proconsuli admodum similis quidam fuit: qui proconsule dicente mirari se quapropter sui tam similis esset cum pater suus in eam prouinciam nunquam accessisset. At meus inquit romam accessit loco namquam lacessitam matris sue pudiciam inuicem suspensionem matrem eius reiecta vltus est.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Calba dolet cicero quoniam pede claudicat vno. / Nempe hunc deficere vellet vtroque pede. Capitulo 5. Colligit vmbricius vires a munere bachi.

Iohannes solobriensis anglicus in policratone libro 42. Octauiano augusto similimus quidam adolescens vrbem intrauit: quem augustus ad se perductum interrogauit: dic mihi adolescens. fuit vnquam mater tua rome negauit ille: nec contentus adiecit: sed pater meus sepe. Ioci itaque asperitate vrbana notitiam omnium et familiaritatem imperatoris sibi conciliauit. Libro 5. Plato

Commented [CN20]: fol.83vb

Commented [CN21]: fol.84ra

cum vidisset dionysium sicilie tyrannum corporis sui septum custodibus. Quod tantum inquit malum fecisti: vt alteram multis necesse habeas custodiri. Libro 8. Hannibal cum apud regem anthiochum moraretur: causa proficui facitissime cauillatus est. Rege ostentante exercitum insignibus aureis et argenteis florentem inducentem currus cum falcibus et cum turribus elephantibus: et omnem equitatum frenis epyphiis monilibus ac faleris prefulgentem. Cum ergo rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus hannibalem aspexisset: putas ne satis esse romanis hec omnia. Tum penus ludens ignauiam imbeliamque militum eius preciose armorum. Plane inquit satis esse credo: etsi romani auarissimi sint. Libro 12. Antigonus rex theocraticum rhium de quo iurauerat quod ei parsurus esset occidit propter scoma ab eodem de se dictum. Cum enim quasi puniendus ad antigonum repareretur: solantibus eum amicis ac spem pollicentibus quod omnino clementiam regis experturus esset cum ad oculos eius venisset: respondit: ergo impossibile mihi dicitis spem salutis: erat autem antigonus vno orbatus oculo. Et importuna vrbalitas maledictum luce priuauit. Libertus regis cum ad nouas diuitias nuper erectus philosophos ad conuiuium congregasset: et irridendo eorum immutulas questiones scire se velle dixisset cum ex alba faba et nigra pulmentum vnius coloris edatur. An dicens philosophus indigne ferens tu nobis inquit absolue: cum et de albis et nigris loris similes macule gignantur. Commendatur scoma et conditio dicentis: si in eadem causa sit.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 19. **Aurum** roma sitiit: dantes amat absque datiuo / Accusatiuo roma fauere negat.

Commented [CN22]: fol.84rb

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Presulis albini: seu martyris ossa ruffini: / Rome si quis habent vertere cuncta valet.

De facetis dictis exclusiuis verecundie imminentis: Rubrica 20

Valerius maximus titulo de fiducia sui. Spartanus quidam increpitus a quodam quod in aciem claudus descenderet: pugnare non sibi fugere propositum esse respondit. Libro 6. titulo grauitate dicta aut facta. Spartanus quidam nobilitate et sanctitate prestans in petitione magistratus victus: maxime sibi letitie esse preiudicauit quod aliquos patria sua se meliores haberet. Quo sermone repulsam honori adequauit.

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 4. Octavianus augustus cum vanus a corporis breuitate conuiciatus: cuiusdam impetu diceretur: sibi calciamentis grandiusculis vtendum esse respondit. Libro 7. Cicero consul cum in palatio domum emere vellet et pecuniam in presens non haberet a silla qui tunc reus erat mutuo sextertium vicesies accepit. Ea res priusquam emeretur prodita est et in vulgus exiuit: obiectumque est ei: quod pecuniam domus emende causa a reo accepisset. Tunc Cicero inopinata opprobatione permotus accepisse se negauit dicens se domum non esse empturum: atque ideo falsum esse inquit quod obicitis: vt verum sit me pecuniam accepisse si domum emero. Sed cum postea emisset: et hoc mendatium ei in senatu ab amicis obiiceretur: risit satis: atque in tridendo imprudentes inquit homines estis cum ignoratis prudentis et cauti patrisfamilias esse quod emere velit: inempturum sese negare propter competitores emptionis: sic itaque quod inficiari non poterat vrbano facetoque dilluit dicto familiare siquidem habebat: vt quotiens obiectum turpe abnegare non posse: responsione ioculari illud eluderet.

De iocali seu faceta excusatione: Rubrica 21

Commented [CN23]: fol.84va

Valerius maximus libro 5. titulo de humanitate aut clementia. Pirrus rex audierat quosdam in conuiuio tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum: accersitos qui ei interfuerant percunctabatur an ea que ad aures ipsius peruenerant dixissent. Tum ex his vnus: nisi inquit nobis vinum defecisset: ista que tibi relata sunt pre hisque de te locuturi eramus lusus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapule excusatio tamque simplex veritatis confessio: iram regis conuertit in risum. Qua quidem clementia et moderatione assecutus est vt et sobrii sibi tarentini gratias agerent et ebrii bene precarentur. Titulo de gratis. Gaii marii non solum precipuus sed etiam prepotens grate mentis fuit impetus: duas enim camentium cohortes mirabili virtute vim cymrorum substinentes in ipsa accie aduersus conditionem federis ciuitatem donauit. Quod quidem factum et vere et egregie excusauit: dicendo inter armorum strepitum verba se iuris ciuilis exaudire non potuisse: et sane id tempus tunc erat quo magis defendere quam audire leges oportebat.

Iohannes solobrienses anglicus in polycratone libro 4. Cicero consul cum in palatio domum vellet emere etc. vt supra titulo proximo.

De electis laudationibus et bladimentis et gratulationibus: Rubrica 22

Paralipomenon libro 2. iuxta principio particula 2. cart. Regina sabba cum audisset famam salomonis: venit vt temptaret eum in enigmatibus in hieruralem. et cum temptauit eum dixit ei: Uicisti famam virtutibus tuis.

Terentius in adelphis capitulo 6. O frater **frater** quid ego te nunc laudem? satis certe scio nunquam ita magnifice quicquam dicam id virtus quoniam superet tua. Capitulo 7. O mi germane ahvereor coram in os te laudare amplius. Ne id absentandi magis quam quod habeam gratum facere existimes.

Commented [CN24]: fol.84vb

Tullius de oratore congratulationis sui ad senatum. Si patres conscripti pro vestris immortalibus in me fratremque meum liberosque nostros meritis parum vobis cumulare gratias egero: queso obtestorque ne mee nature potius quam magnitudini vestrorum beneficiorum retribuendum putetis. Que tanta enim potest existere vbertas ingenii: que tanta dicendi copia: quod tam diuinum atque incredibile genus orationis quo quisquam possit vestra in nos vniuersa promerita non dicam complecti orando: sed percensere numerando.

Ouidius de tristibus libro i. epistola 2. Siquid adhuc ego sum muneris omne tuum est. Epistola 5. Quelibet eloquio fit bona causa tuo. Libro 2. epistola vnica. Diuitis ingenii est immania cesaris acta / Condere materia: ne superetur opus. Libro 3. epistola 4. Nam pede inoffenso spacium decurrere vite / Dignus es: et fato condidiore frui. Libro 4. epistola 3. Et patet in laudes area magna tuas. Libro 5. epistola 3. Ouidius ad cesarem: O decus o patrie per te florentis imago. / O vir non ipso quem regis orbe minor.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 15. Paulus apostolus dixit: Gratia dei sum id quod sum.

Gaufridus in poetria capitulo 101. et finali. Nobilitas dandi quam non nouere moderni / Est innata tibi: tu solus gemma datorum: / Das ita nequa manus sit dando latior: aut inest / Letior: aut morula breuior. / Magnus es in dando: prudens in agendo modestus / In gustu: rigidus in iure: fidelis in omni / Re semperque tuos diuina preambula virtus / Urget successus: et semper in ardua crescit. / Sed licet omnis apes tibi crescat honoris honore: / Crescere non poteris quantum de iure mereris.

Commented [CN25]: fol.85ra

De electis conclusionibus rethorice orationis: Rubrica 23

Tullius inuectiua in salustium. Plura dicere si apud alios patres conscripti mihi esset diserendum: non apud vos quos habui omnium actionum mearum monitores. Idem in oratione pro quinto ligario. Longiorem orationem causa forsitan postulat: tua certe natura breuiorem. Quare cum vtilius esse arbitrem te ipsum quam aut me: aut quemquam loqui tecum finem iam faciam. Tantum te ipsum admoneo: si illi salutem absenti dederis presentibus his omnibus te daturum.

Quintillianus declamationum 2. declamatione. Perorta imperator vt mediocritas ingenii mei causa scio commendationis partes esse reliquas. Sed has superuacuas facit sanctitas tua et cetera. vnum rogat vt si quid de causa illius dubitas: des dilationem vsque ad proximum prelium: pone in prima accie pone ante signa: fortiter dixerim non inter tyrones: vbi vsus periculi: quo maximus ostium globus ingruet specta pugnantes: affirmo tunc minus ignoscere tribuno scilicet occiso a milite quem tribunus voluit strupare: liceat ire in accie: congredi cum hostibus. Si perire debet: rogat te imperator miles tuus opera mortis sue vtaris. 12. declamatione. Intellego neque prudentiam vestram desiderare plura de causa: neque vestram fidem ac religionem egere exhortatione vere iudicandi.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola 33. Pauca dixisse sapientie vestre sufficiant: quia quod in alto pectore protenditur consideratum semper augetur. Idem de anima capitulo 17. et finali. Hec pro nostro modulo non pro rerum ipsa magnitudine dicta sufficiant.